

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Hohenloici Gymnasii Rector Michael Bulyowsky de Dulycz,  
Prof. Philos. Incl. Regn. Hung. Comit. Neogr. & Turoc.  
Adsess. Lectori Benevolo S. P. D.**

**Bulyovszky, Mihály**

**Oringae, 1694**

[urn:nbn:de:bsz:31-2335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-2335)









A
 Tque ita jam ego nunc etiam tandem aliquando, qui vide-  
 am, universum terrarum orbem, ad ferrum, ad arma concur-  
 risse, in acie stare, militem pariter meum ex hybernaculis,  
 in tabernacula, in pelles, inque aciem ipsam educo. Neq; e-  
 nim æquum videbatur, cæteris gentilium, bello, req; publica  
 tractanda occupatis, hostique instantibus, & operi, rebusq; gerendis, otio  
 nos torpere, & in labore publico, media æstate hybernare, vel sub papilio-  
 nibus somno vacare. Qui patrem Cynicorum audivit *Antisthenem*, facetissi-  
 mus, festivissimusq; Philosophorum, *Diogenes*, *Κοσμοπολίτης* ille, sapiens ille  
 morio, quem imprudentes ridere solemus; sed mirabatur *Alexander M.* &  
 quod amplius est, miratur etiam *Basilius M.* quando *Philippus Macedo*, ju-  
 gum impositurus Græciæ, cum exercitu jam, ut est in *Luciani Samosatensis*  
 libro *De conscribenda Historia*, ferebatur adventare, Corinthiorumque pro se  
 quisq; facere cœpisset: alius arma apparare, alius saxa comportare, alius mu-  
 ros civitatis reficere, alius propugnacula, & turres suffulcire, deniq; alio ali-  
 ud aliquid, ad rem quod pertineret, subministrare: cum hæc aspiceret, neq;  
 ipse haberet, quod ageret, nemo enim ipsum ad ullum ministerium adhibe-  
 bat, cincto circum se pallio illo suo duplicato, serio admodum & ipse dolium  
 suum, in quo, cum ad quendam scripsisset, ut sibi pararet cellulam, & ille tar-  
 dius id exequeretur, habitabat, sursum ac deorsum, per Cranium, Gymnasium  
 Corinthium, volutare cœpit, ac rogante quopiam ex familiaribus, &, *Quid hoc*,  
 inquit, *Diogenes agis? Volo*, inquit ille, *etiam ego dolium meum, ut ne*  
*solus, tot inter laborantes otiosè videar feriari.* Nolne igitur otio diffuamus  
 in tanto popularium labore, in tanta occupatione? Deerat adhuc campus, ubi  
 nostra ponere potuissemus castra, ubi aciem instruere, ubi militem commodè  
 explicare. Neq; callidus hostis facilè potestatem sui faciebat. Nunc et ipse  
 conflictui diem dixit barbarus, & probandæ virtuti datus est campus. Acce-  
 pimus conditionem: quem diem notavimus in calce, eo die, sub Romanis  
 Lupis, Minotauris, Equis, Apris, Aquilis, excellentissimos duces, ac viros se-  
 cuti, *Scipiones, Paullos, Lælios, Scævolas*, acie decernemus, ut, quantum in  
 nobis est, longius serpentem barbariæ pestem, pro virili nostra, propulse-  
 mus. Explicabimus enim in acie scenica, nunc nuper exercendæ virtuti  
 scholasticæ instructa, divinum illud SOMNIUM SCIPIONIS, illius, qui  
 Carthaginem, Imperii Romani æmulam, evertit, renarratum à M. T. CICE-  
 RONE, in illo inæstimabili cornu copiæ, sed funestissimo naufragio, quo  
 altissimè regni literarii jugulum petatum est, sex illorum nunquam satis de-  
 plorandorum, *De Republica* librorum, ad hanc unicam tabellam, quam no-  
 bis *Macrobius* industria, in vastissima illa, rebusque divinis pariter, ac humanis  
 confertissima *Expositione* conservavit, absumpto. Est in hoc opusculum,  
 quicquid est unquam in rerum natura, conjectum, æquissimoque id iudicio,  
*Ludovicus Vives*, magnis Philosophorum libris præfert: rectè asserit, *sacros*  
*religionis nostræ libros si excipias, nulla unquam hominum memoria scriptum*  
*esse librum, in quo plus rerum, plus eloquentiæ sit comprehensum, atque insarctum,*  
 summoque jure *Macrobius*, grandem illum suum in hanc tabellam com-  
 mentarium his verbis concludit, *Nihil esse hoc opere perfectus, quo universæ*  
*philosophiæ contineatur integritas.*

Cum itaque, hybernis nostris, istum ego inexhaustum thesaurum, quo  
 præmia continentur, iis parata, qui remp. cum prudentia, justitia, fortitudine,  
 at-



17a

atque moderatione, æquè belli ac pacis temporibus, tractaverint, commilitonibus meis, juxta scholas alias, quatenus poteram, recluserim: inde post quidem, quod judicarem, nunquam satis volvi, revolvique posse aureolum hoc opusculum, uti memoriæ penitus infigerentur res sanctissimæ, in scenam producere personatos *Scipiones*, eorumque nobilissimos *socios*, qui nobilissimum cælestis illius diatribæ argumentum referrent, animum induxi. Isti ergo, cum de pulcerrimis illis rebus colloquantur, eadem opera, contra barbariam arma ferent, sibi que id genus exercitationibus à barbariæ tyrannide, ignorantia nos servitute, jugoque premente liberatis, nescio enim an rectè *Stoa* dixerit, *solum sapientem esse Regem*, totius naturæ dominium vindicabunt.

Edito igitur classico, *PROLOGUS*, qui erit *JOANNES FRIDERICUS SCHALLERUS, FRANCUS*, quæ hætenus in bonis auctoribus legerint, ex cathedra, ad pedem scenæ posita, commemorabit, atque ita viam, qua ad renarrandum *Somnium Scipionis* perveniatur, aperiet, idque ipsos personatos *Africanos, Paullos, Lælios, Scævolas* exposituros esse ostendet. Quare, panfa cæli scena, in *Orbe lacteo* enim habitum legimus hunc sermonem, remotis aulæis, *AFRICANUS MAJOR*, quem referet *ALBERTUS HENRICUS SEUFERHELDUS, LIMBURGENSIS*, *Scipioni* nepoti, qui audit *Africanus Minor*, quod ut ille caput *Africae, Carthaginem*, populo Rom. parere coegerit, ita hic postea everterit, à *P. Æmylio Scipione*, suo filio, in filium adoptato, ordinem fatorum referabit. Cumque eo pervenerit, ut dicat, *Dictatorem Remp. constituturum, si impias propinquorum manus effugerit*: heic *LÆLIUS* *Scipioni* amicitissimus, cujus personam *ANTONIUS SAMUEL LVDOVICVS, HOHENLOICUS, & SCÆVOLA, Lælii* gener, cujus vicem *JOANNES GEORGIUS WILDIVS, HOHENLOICUS*, sustinebunt, sceleris atrocitate perturbati, vehementius ingemiscunt, investique in parricidas, *Scipionem*, divinæ providentiæ, atque curæ commendabunt. Quod omen & *AFRICANUS* propagabit, nepotemque, quo sit alacrior ad tutandam Remp. vitæ æternæ præmio hortabitur. Ostendet quippe, *Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in cælo, ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruuntur*. Hic tum *SCIPIO*, quam personam induet *JOANNES CHRISTOPHORVS HORNIVS, HOHENLOICUS*, de vita illa beata rogare, & *an ii vivant, qui ex corporum vinculis evolverunt*, requiret. Ergo & *AFRICANUS*, patrem ipsius *Paullum, Macedonicum*, jam vita in terris functum, vivere, & venire ostendet, & *PAULLUS* ipse, cujus personam geret *JOANNES SAMUEL CAROLUS, HOHENLOICUS*, filium complexus, tum nostram, quæ dicitur vita, mortem esse docebit, eosque, qui exuvias corporis deposuissent vivere testabitur: tum ad mediationem æternitatis, vitæque beatæ, contemplationemq; cælorum, ubi erant, eum hortabitur. Cujus templi admirabilitate correptus *SCIPIO*, & felicitate vitæ, quam & *Africanus*, avus, & *Paullus*, pater, agerent, quo celerius pari frueretur beatitate, inferendarum sibi manuum, sui que, per vim, ex carcere corporis exsolvendi meminit. Quo motu consilio *PAULLUS* sapientissimè philolophabitur adversus *avloxeiglav*, quando dicet, *retinendum esse animum & ipsi, & piis omnibus, in custodia corporis, nec injussu ejus, à quo ille esset nobis datus, ex hominum vita migrandum esse; ne minus humanum, assignatum à DEO, defugisse videamur*: aliamq; è contrario ei monstrabit in cælum quæ ducat viam, *justitiam, & pietatem*. Inde post enim enarrabit ei *AFRICANUS* totius hujus rerum universitatis contextum, & coagmentationem. Inter hæc *SCIPIO*, inauditam sibi antea, multoq; suavissimam audiet *Musica*, quæ intra scenam, testudinis, aliorumque quorundam leniorum instrumentorum concentu adumbrabitur, quæretque de insolitæ hujus harmoniæ causis. Quas ei vicissim *AFRICANUS* exponet, docebitq; *impulsu, & motu orbium cælestium eam gigni: neq; enim silentio tantos motus, quanti sunt cælorum, incitari, neq; in hac eorum concinnitate, et aptitudine, inconditum aliquid, & inconcinnum edi posse*. Sed *SCIPIO* inter hos sermones, aliam audiet *Musica*, asperiores, quæ pastorali quodam exhibebitur modo. Itaq; de hac etiam requiret, eiq; pariter *AFRICANUS* respondebit, *doctos homines imitatos esse nervis, atq; cantibus, cælorum illam harmoniam, aperuisseq; sibi etiam veditum in cælum, sicuti alios, qui, præstantibus ingeniis, in vita humana, divina studia coluissent*. Tum verò  
SCI-



SCIPIO, quod ipse è tanto intervallo, ex ipsa *Via lactea* hominum illos audiret, cantus, colligit, nostras etiam preces, vota, gratulationes, querimonias, cantus, cælitus exaudiri. Quamobrem PAULLUS, modestè interrupto *Africani* sermone, ea insententia filium uti confirmet, divinè *de providentia divina*, quæ diatriba ex *Tullii De Natura Deorum* libro altero est desumpta, disputabit, demonstrabitq; adeo curæ esse Deo *genus hominum*, pulcherrimumque hoc universi theatrum, cæteraq; etiam res cunctas, quas continet, hominum causa paravisse, nec universos tantum, sed *singulos etiam homines DEI providentiæ esse commendatos*.

Hoc jam argumentum, opacata scenâ, separabit à dicendis *Musica*. Qua finita, interjicietur EPISODION, *de partibus theatri*, de quibus, novitate rei capti, ad pedem scenæ, DOXOPHILUS, qui erit JOANNES SAMUEL MEELFUHRE-  
RUS, HOHENLOICUS, & PANTOLMUS, qui PHILIPPUS HIERONYMUS LEUTWEINUS, HOHENLOICUS, itemque PHILOTECHNUS, qui ANTONIVS SAMUEL LUDOVICVS, HOHENLOICUS, qui partes illas theatri breviter describet, colloquentur: cumque iste in proscenium ipsum socios deduxerit, inque scena cæli faciem representatam ostenderit, audita *Musice*, qua superiorum personarum reditus in scenam indicabitur, exemplo se omnes inde proripient, claudeturque scena. Sed, consummata *Musice*, remotisq; aulæis, & cælitibus reversis, observabit AFRICANUS, *Scipionem* intentius sedem hominum, ac domum contemplari, terram. Itaque, ut antea immensitatem cælorum: ita nunc *exilitatem terræ*, quæ, universitati naturæ collata, vix puncti nomen tueri possit, magno opere inculcabit. Cumq; & *parvam eam* ostenderit, & *habitari in eararis, & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitetur, vastas solitudines esse interjectas*: derivabit inde tum illud, *Nullam expetendam gloriam in ea parari posse*: continenterq; istud, & congruenter, *humana uti contemnat* Scipio, celebritatem, inquam, sermonis hominum, gloriam, honores *cælestiaque semper spectet*, vitamq; illam beatam *assiduè meditetur*. De qua ne ullus dubitationi locus relinquatur, philosophiam *de immortalitate animorum* adjunget, atq; ita tum demum, ut in orbem redeat, & *ad tutandam Remp.* à quo argumento erat exorsus, ad *patriam conservandam, adjuvandam, augendam*, vehementius incendat, *adhortatione exercenda in rebus optimis animæ*, quæ essent curæ *de salute patriæ*, terminato sermone, discedet.

Quid igitur jam expectabis *Lector benevole*? EPILOGUM enim, quem, *intercedente brevi instrumentorum Musicorum concentu*, JOANNES JACOBUS ILGIUS, WIRTEMBERGENSIS, faciet, vectusq; per laudes, & diviniissimi Somnii hujus *Scipioniani*, & sanctissimorum, gravissimorumque interlocutorum, P. Cornelii *Scipionis Africani*, L. Æmylii *Paulli Macedonici*, P. *Scipionis Æmyliani Numantini*, C. *Lælii*, Q. *Mutii Scævole*, & qui pientissimum hunc dialogum, non minus sapienter, ac pie, quam ornate, atque splendide, stilo illo suo cælesti expressit, Philosophorum æque ac Oratorum apud Romanos principis, M. T. CICERONIS: ita tum postilla, pro *VETUSTISSIMA GENTE HOHENLOICA*, *Nutrice nostra multo benignissima, cui DEUS T. O. M. nullos, nisi suæ Domus, sui generis, sui sanguinis, sufficiat heredes*, proque *Gentilitii Gymnasii incrementis*, ubi vota & solverit & fecerit, *NOBILISSIMÆ* etiam *CONCIONI*, officiosissime, humilimeq; gratias aget, *dramæ*, ita hoc *Oratorio-scenicum* concludet, panegyrisq; concinente choro, inter tubarum clangores, tympanorum tonitrua, machinarum fragores, *Scipionianæ scenæ* congruenter, quibus ardor tuendæ patriæ, inferendarumq; in hostem Aquilarum, majores capiat ignes, atq; flammæ, solvetur. Adeste igitur, *LECTORES CANDIDI*, meorumq; *commilitonum*, vestra præsentia, vestro applausu, vestris collaudationibus, vestris acclamationibus, ad pugnam hanc nostram strenuè pugnandam, cui rei *dies XXIII. mensis hujus, hora secunda pomeridiana* est constituta, animos accendite, lacertos juvate, jam vero valet. PP. *Oringæ, die XXI Jul. Anno à salutifera nati-*  
*tate Salvatoris nostri, MDCXCIV.*

FRICANUS, qui partes illas theatri breviter describet, colloquentur: cumque iste in proscenium ipsum socios deduxerit, inque scena cæli faciem representatam ostenderit, audita Musice, qua superiorum personarum reditus in scenam indicabitur, exemplo se omnes inde proripient, claudeturque scena. Sed, consummata Musice, remotisq; aulæis, & cælitibus reversis, observabit AFRICANUS, Scipionem intentius sedem hominum, ac domum contemplari, terram. Itaque, ut antea immensitatem cælorum: ita nunc exilitatem terræ, quæ, universitati naturæ collata, vix puncti nomen tueri possit, magno opere inculcabit. Cumq; & parvam eam ostenderit, & habitari in eararis, & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitetur, vastas solitudines esse interjectas: derivabit inde tum illud, Nullam expetendam gloriam in ea parari posse: continenterq; istud, & congruenter, humana uti contemnat Scipio, celebritatem, inquam, sermonis hominum, gloriam, honores cælestiaque semper spectet, vitamq; illam beatam assiduè meditetur. De qua ne ullus dubitationi locus relinquatur, philosophiam de immortalitate animorum adjunget, atq; ita tum demum, ut in orbem redeat, & ad tutandam Remp. à quo argumento erat exorsus, ad patriam conservandam, adjuvandam, augendam, vehementius incendat, adhortatione exercenda in rebus optimis animæ, quæ essent curæ de salute patriæ, terminato sermone, discedet.